



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nucleus Juris Canonici

Thenhaven, Bernhard

Coloniæ Agrippinæ, 1739

Titulus Proœmialis. De Jure Canonico & Civili.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63382](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63382)

TITULUS PROOEMIALIS.

De Jure Canonico & Civili.

1. **J**us Canon. est Jus ex Sacris Canonibus, id est, Regulis Ecclesiasticis collectum, & Authoritate Apostolicâ pro bono Regimine Ecclesiæ universalis ac spirituali fidelium salute constitutum & approbatum; de quibus dicitur *Tit. de Constitutionibus c. 1.* „ Canonum Statuta „ ab omnibus custodiantur, & nemo in „ actionibus vel Judiciis Ecclesiasticis suo „ sensu, sed eorum auctoritate ducatur. „ Item c. 5. „ Ne innitaris prudentiæ tuæ; „ prudentiæ suæ innititur, qui ea, quæ sibi „ agenda vel dicenda videntur, Patrum „ Decretis præponit; „ Talem enim non esse prudentem, sed fatuum, manifestum est, ait *Wagnereck ad b. c.*

2. Corpus Juris Canonici universim habet sex partes, quarum *prima* DECRETUM GRATIANI Benedictini, ex variis S. Scripturæ Sententiis, Conciliorum Generalium Decretis, Constitutionibus & Decretalium Epistolis Summorum Pontificum, SS. Patrum Sententiis, Statutis Conciliorum Provincialium & Synodali-um, ac Legibus Civilibus compilatum, solétque appellari: CONCORDANTIA DISCORDANTIUM CANONUM. Et dividitur

in tres Partes, quarum I. continet Distinctiones centum & unam in Canones seu Capita distributas. II. Distincta est in triginta sex causas, quæ subdividuntur in Quæstiones, & hæ in Canones; & quidem in Causa 33. Quæstione 3. ponitur Tractatus de Pœnitentia, qui habet septem Distinctiones divisas in Capita. III. De Consecratione, quæ habet quinque Distinctiones pariter in Capita divisas. Quibus ad calcem Decreti subnectuntur 47. Canones Pœnitentiales, statuentes diversas pœnitentias delinquentibus pro mensura delicti imponendas, quæ tamen in usu esse defierunt. Item 84. Canones Apostolorum per Clementem à Petro Apostolo Romæ ordinatum Episcopum congesti. Porro citationes Canonum Decreti fieri solent hoc modo: Ex 1. parte: *Cap. vel Can. Omnes Leges 1. Dist. 1.* Ex 2. parte: *Can. Si quis suadente. 29. Cau. 17. Q. 4.* Si fiant ex Causa 33. Quæst. 3. De Pœnitentia ponitur: *C. Petrus 1. Dist. 1. de Pœnit.* & ordinariè causa solet omitti. Ex 3. parte: *C. Precepta. 5. Dist. 1. de Consecr.*

3. Verùm juxta communem DD. omnia in eo contenta non habent vim Legis Canonicae, cum Liber ille à nullo Pontifice tanquam per omnia Authenticus sit approbatus; adeoque, contenta in illo revo-

canda sunt ad primævam auctoritatem, ut proinde Decreta Conciliorum Oecumenicorum & Constitutiones Pontificum illi inserta habeant vim Legis Ecclesiasticæ; non cætera, v. g. Dicta SS. Patrum, Leges Civiles, &c. nisi ab aliquo Pontifice fuerint specialiter canonizata, per quod robur Legis accipiunt, juxta vulgatum: *Omnia nostra facimus, quibus nostram impertimur auctoritatem*, ut ait Imp. L. I. C. *de vet. Jure enucl.*

4. Idem esto judicium de PALEIS (quæ sunt additiones ad Decretum GRATIANI) sic dictis vel ab illarum Authore Cardinali *Protho-Palea*, ut censent aliqui; vel, ut verosimilius, quia Gratianus videns eas suo Operi ab altero adjectas, dixisse fertur: *Ubi sunt hujusmodi Capitula, Paleæ sunt, nec de meo grano.*

5. *Secunda* DECRETALES GREGORII IX. per S. Raymundum de Pennafort, ex variis Constitutionibus & Decretalibus Epistolis Summorum Pontificum collectæ; ejusdem Pontificis auctoritate promulgatæ & approbatæ, ut proin habeant vim Legis universalis decisivam; nisi per posteriorem Constitutionem sint revocatæ, aut per consuetudinem contrariam abrogatæ. Dividuntur in V. Libros; Libri in Titulos; Tituli in Capita; & sic citantur:

4
C. *Firmiter de Summ. Trin.* i. e. Capite
quod incipit: *Firmiter*, in Titulo de Sum-
ma Trinitate.

6. Liber I. Decretalium potissimum
agit expositis Juris Canonici principiis
(quæ sunt Constitutiones Apostolicæ, Res-
cripta & Consuetudines) de Electione
Prælatorum; Jurisdictione Judicum ordi-
nariorum, Delegatorum & Arbitrorum;
Præparatoriis Judiciorum, v. g. de Advo-
catis, & Procuratoribus, ac iis, per quæ
controversiæ ante litem contestationem
componuntur, v. g. de Pactis, Transactio-
nibus, Restitutionibus in integrum, &c.
2. De Processu Judiciario in prima & se-
cunda instantia. 3. De Personis Ecclesiasti-
cis, ut de vita Clericorum eorumque Juri-
bus, nempe Beneficiis, Feudis, Contracti-
bus, Decimis, Sepulturis & Immunitatibus
Ecclesiarum. 4. Potissimum de Causis
laicos concernentibus, seu de Sponsalibus
& Matrimonio. Et 5. de diversis Crimini-
bus cum modo accusandi, inquirendi ac
puniendi in Foro Ecclesiastico. Hinc ma-
teriæ singulorum continentur hoc ver-
ficulo:

Judex, Judicium, Clerus, Sponsalia, Crimen.

7. *Tertia* SEXTUS DECRETALIAM, aucto-
ritate BONIFACII VIII. congestus, & V. Li-
bris Decretalium (cum quibus parem ha-
bet

bet juris auctoritatem) tanquam Sextus specialis est annexus; quamvis & ipse in alios quinque Libros, respondentes quinque Libris Decretalium, fit divisus; Libri in Titulos; Tituli in Capita; omissis tamen illis Titulis, circa quos specialis controversia non emerferat. Unde citatio fit eodem modo, addendo in 6. v.g. *C. Fidei de Summ. Trin. in 6.*

8. *Quarta CLEMENTINÆ*, i. e. Constitutiones partim editæ à CLEMENTE V. in Concilio Viennensi, partim ejus jussu collectæ, & post ejus mortem promulgatæ à JOANNE XXII. ejusque auctoritate pro judiciis roboratæ. Constant etiam quinque Libris, sicut Decretales; & iisdem Titulis, sed multò paucioribus, ut videre est in Elencho Titulorum; fitque citatio eodem modo, addendo *in Clement. C. Fidei Catholicae. de Summ. Trin. in Clement.*

9. *Quinta EXTRAVAGANTES JOANNIS XXII.* i. e. viginti Constitutiones ab ipso editæ (quæ sub hac Parte citantur; reliquæ ipsius inter Extrav. communes recensentur) divisæ in 14. Titulos juxta ordinem in Decretalibus observatum. Dicuntur *Extravagantes*, quia olim extra Corpus Juris vagabantur; & licet postea in illud redactæ sint, pristinum tamen nomen retinuerunt. Citantur

hoc modo: *Extrav. Execrabilis* JOANNIS
XXII.

10. *Sexta* EXTRAVAGANTES COMMUNES,
i. e. Constitutiones Apostolicæ, quæ post
priora omnia emanârunt; sicque citan-
tur: *Extrav. Unigenitus de pœn. & remiss.*
inter comm. Et quamvis non satis con-
stet, an alicujus Pontificis Decreto publi-
cata, & Corpori Juris insertæ sint, quia
tamen à pluribus Sæculis in illo possessio-
nem acceperunt, passim à DD. pro au-
thenticis habentur.

11. Ad Extravagantes communes re-
duci possunt Decreta posteriorum Con-
ciliorum, præsertim novissimi Tridenti-
ni, cujus non solum Dogmata Fidei ab
omnibus in universo Orbe sunt credenda;
sed etiam ejusdem Decreta, concernentia
morum & Ecclesiasticæ Disciplinæ refor-
mationem, habent per se auctoritatem
Legis universalis; quamvis nonnulla vel
ob defectum promulgationis, vel per non
usum, vel vi privilegii Apostolici in qui-
busdam locis, ut Gallia &c. non obligent.
Item Bullæ Apostolicæ posteriores in Cor-
pus Juris non redactæ; quæ tamen aucto-
ritatem Legis vimque decisivam in judi-
ciis non habent, nisi eas pro tota Ecclesia
latas, ritè promulgatas usûque receptas,
& cum originalibus suis correspondere

con-

constet: quales sunt Bulla Cœnæ; Decreta ALEXANDRI VII. INNOC. XI. ALEXANDRI VIII. varias Propositiones damnantia; Bulla *Unigenitus* CLEMENTIS XI. &c. Aliud est de singulis Constitutionibus Apost. insertis Libro septimo Decretalium, Corpori Juris Canonici ad calcem adjuncto, & edito à D. Petro Matthæi J.C. Lugdunensi, quia hic Liber à nullo Pontifice est canonizatus.

12. Juri Canonico varia subserviunt, quæ quidem non vim Legis Canonicae, magnam tamen in Foro Ecclesiastico auctoritatem obtinent, ut sunt I. REGULÆ CANCELLARIÆ, quæ sunt Constitutiones Pontificiæ concernentes majori ex parte Causas & Reservationes Beneficiales, ac cum morte Pontificis expirant; à quolibet tamen Pontifice alterâ post Electionem die renovantur, & in Cancellaria publicantur; statimque omnes ligant quoad effectum nullitatis actûs in contrarium gesti, ita ut provisio etiam bonâ fide facta de Beneficio in iis reservato sit nulla ob Decretum irritans in iis contentum. Variæ tamen Reservationes in Germania ob Concordata locum non habent, de quo L.3. T.5. de Præbendis.

II. DECLARATIONES S. CONGREGATIONIS CARDINALIUM, seu Interpretationes De-

cretorum Concilii Tridentini ad morum reformationem & Disciplinam Ecclesiasticam pertinentium: quæ si fiant consulto prius Pontifice, sintque tantum declarativæ seu comprehensivæ, i. e. à propria verborum Tridentini significatione non recedentes, ac producantur in forma authentica, i. e. à Cardinali Præfecto & Secretario subscriptæ, ac consueto Sigillo obsignatæ, quia tunc auctoritate Apostolicâ sunt roboratæ, habent vim obligandi in utroque Foro, estò non promulgentur, quia non faciunt jus novum, (ad quod requiritur promulgatio) sed præexistens juxta intentionem Legislatoris ritè explicant, & habitum in ventre sensum manifestant. Ita DD. passim cum Engel hîc n. 16. Econtra tales Declarationes factæ inconsulto Papâ; aut si sint extensivæ, ut per eas Decreta Tridentini ampliuntur ultra proprietatem verborum, (quales censet P. Pichler *in Jure Canonico practicè explicato Decis.* 102. esse Declarationes, obligantes Parochos ad applicandum Missas Dominicis & Festis pro Parochianis, citatas à P. Reiffenstuel L. V. Decret. T. 3. n. 210. & seqq.) sunt tantum doctrinales, nec in vim Legis obligant, (quamvis tanquam gravissimi Senatûs placita sint venerandæ) nisi à Pontifice appro-

bentur, ejusque jussu velut novæ Leges promulgentur; ut Decretum de Regularibus Apostatis & Ejectis; de Celebratione Missarum, &c.

III. DECISIONES ROTÆ, quæ est Summi Pontificis in litigiosis Tribunal, cui non est data facultas condendi Leges, sed juxta eas judicandi; adeoque licet Decisiones faciant jus inter partes, non tamen faciunt jus universale, cum & ipsa Rota sæpè contra priores Sententiam ferat, seu recedat à decisis: hinc sunt tantum Magistrales, uti in Civilibus Decisiones Cameræ Imperialis; si tamen super eadem Juris quæstione sint uniformes, & sæpius repetitæ, faciunt stylum in Curia Rom. & extra eam, ubi non reperitur jus in contrarium, magnum in Judiciis habent pondus auctoritatis, juxta illud Mandosii: *Rotâ loquente cætera Tribunalia obmutescunt.* Nihilominus hic stylus est variabilis ad mutationem Papæ & Auditorum Rotæ, diciturque modò albus, modò niger; ac, si stylo Rotæ contrarius sit stylus Datarie & Cancellarie, huic, utpotè magis propinquo Papæ organo, potius standum, ut notat Leurenus hinc Q. 25.

IV. JUS CIVILE; nam C. *cum ex injuncto de novi oper. nunt.* ait Pontifex: *Sicut Leges non dedignantur SS. Canones imitari,*

*ita sacrorum Statuta Canonum Principum
Constitutionibus adjuvantur*, sic, quando
casus aliquis est dubius vel indecisus in
Jure Canonico, clarè verò decisus in Jure
Civili, ejúsque materia sit profana, v. g.
de Contractibus, Feudis, &c. hujus deci-
sio, etiam in Foro Ecclesiastico, est obser-
vanda, & contra; si verò inter utrumque
Jus sit manifesta contrarietas, eaque ver-
fetur circa materiam conscientiae vel pec-
cati; aut circa personas vel res Ecclesiasti-
cas, v. g. Beneficia, Vota, Causas pias,
Sacramenta, &c. tenendum est Jus Cano-
nicum in utroque Foro, quia tunc Jus
Civile per illud corrigitur & abrogatur.
Sic Jus Civile permittit, præscriptionem
longissimi temporis bonâ fide inchoatam,
estò cum mala fide continuatam; item pa-
tri, occidere adulterum in flagranti cum
filia deprehensum, dummodo & filiam
occidat; irritat matrimonium filii familias
contractum sine consensu parentum; pa-
ctum juratum, patri factum à filia nubente,
quòd velit esse contenta dote, nec ha-
bere regressum ad bona paterna, quæ &
plura alia per Jus Canonicum sunt corre-
cta, ut videre est apud Reiffenst. hîc n. 194.
& seqq. Verùm si contrarietas utriusque
Juris sit de re profana, nec attingat con-
scientiam vel peccatum aut Personas Ec-
cle

clesiasticas, quodlibet Jus in suo Foro servandum, nimirum Civile quoad laicos in Imperio; Canonicum in Territorio Papæ, & extra illud quoad res & Personas Ecclesiasticas, v. g. circa solemnitates Testamentorum, Judiciorum, Contractuum, &c. Sic Jus Civile requirit ad Testamentum non privilegiatum septem testes; Jure Canonico C. 10. & 11. *de Testam.* sufficiunt duo aut tres testes; item de Jure Canonico potest quis voluntatem suam testandi committere in alterius dispositionem, secus Jure Civili, &c. Si tamen in his & similibus Clericus actor conveniat non Clericum, sed laicum, Forum Civile laici sequi debet.

13. JUS CIVILE est, quod auctoritate Principis aut Magistratûs sæcularis ad tranquillam rectamque Reip. gubernationem, pacem & temporalem felicitatem salutemque civium conservandam constitutum est. Dividitur in *Commune*, quod in singulis Provinciis, Imperio vel Regno subjectis, omnes obligat: & *Particulare*, quod tantum obligat subditos determinati loci vel Territorii, pro quo illud conditum est; ac in eo præfertur dispositioni Juris communis, diciturque *Municipale*, quia speciale derogat generali.

14. Jus Civile per Antonomasiam dicitur

citur *Jus Romano-Cæsareum*, collectum ex variis Constitutionibus, in Corpus Juris auctoritate Imperatoriâ relatis. Tales sunt 1. *Leges XII. Tabularum*, sic dictæ, quia à Romanis post eas ab Atheniensibus & Lacedæmoniis acceptas, additis duabus, sunt XII. Tabulis æneis incisæ, quibus Romani circa principium Urbis conditæ regebantur. 2. *Leges*, quas Populus, i. e. Senatores & Patritii cum Civibus statuebant; & *Plebi-scita*, quæ Plebs, i. e. soli cives sine Senatoribus & Patritiis constituiebant, quando Romæ erat Status Democraticus, seu suprema potestas penes Plebem. 3. *Senatus-Consulta*, quæ sine Plebe in statu Aristocratico (quando Principatus erat penes paucos Optimates seu Senatum ex 100. personis) Consule proponente à Senatu statuebantur, & à nomine Consulis interrogantis vocabantur, v.g. Claudianum à Claudio, Trebellianicum à Trebellio, &c. 4. *Edicta Prætorum* seu *Magistratum*, sic dicta, quia à Magistratu è Patribus seu Primoribus, Plebe permittente, unus creabatur, qui à præessendo dicebatur PRÆTOR, cujus tanta erat potestas, ut novum Jus condere, ac vetera jura abrogare solus valeret; & quod Prætor dicebat, *Jus honorarium* appellabatur: sed ipsius auctoritas cum

annuo

annuo officio expirabat. 5. *Placita Principum*, seu Constitutiones, quæ pro statu Monarchico, omni potestate in Principem collatâ, ab Imperatoribus sunt editæ; hinc L. 1. ff. *de Constit. Principum: Quod Principi placuit, Legis habet vigorem.* 6. *Responsa Prudentum*, quibus à Principe permissum erat, consulentibus circa Jus respondere, dicebanturque *Juris-Consulti*; & quando omnes in idem consentiebant, non erat fas Judici, ab eo recedere, quia faciebant jus inter partes. Varia horum in Pandectas relata sunt, quæ tamen non ex se, sed ex Legis constitutione & auctoritate Justiniani habent vim decisivam.

15. Corpus Juris Civilis dividitur in quinque partes, quarum I. *Institutiones Justiniani*, quæ sunt veluti Elementa & Compendium totius Juris Civilis, constantque quatuor Libris, in suos Titulos & Paragraphos distributis.

II. *Digesta seu 50. Libri Pandectarum*, omnem ferè Juris doctrinam in ordinem certum digestam continentes.

III. *Codex Justiniani*, constans 12. Libris, in Titulos & Leges distributis; quorum tres ultimi, tractantes de Jure publico, in scholis explicari non solent; & quandoque separatim compinguntur.

IV. *Authenticæ seu Novellæ*, sic dictæ

tan-

tanquam novæ Constitutiones post Codicem jam editum pro causarum, de novo emergentium, varietate à Justiniano conditæ & promulgatæ.

V. *Constitutiones Feudales*, seu duo Libri *Feudorum*, in suos Titulos ac Paragraphos divisi. His quinque partibus postmodum accesserunt nonnullæ Constitutiones Imperiales.

16. JUS PUBLICUM est illud, quod pro fine suo proximo habet communem Reip. utilitatem; privatam verò singulorum secundariò & in consequentiam. Consistit in tribus; nempe in Sacris, v. g. Ecclesiis DEO dicatis, ac in Sacerdotibus, & in Magistratibus, ut habetur in Can. *Jus Publicum. Dist. 1.* Nam Reip. plurimum interest, ut per res sacras & Sacerdotum ministeria in vera Religione debitus DEO cultus exhibeatur, ac per Magistratus Resp. rectè gubernetur. Unde differt à *Jure privato*, quod principaliter respicit privatam utilitatem singulorum; & indirectè utilitatem publicam Reip. quæ ex bono privatorum confurgit. TALE est jus, quo agitur de Servitute, de Potestate patria, Tutelis, Testamentis, Contractibus, &c. quamvis etiam Jus Publicum vocari possit, quatenus est jus publicâ auctoritate constitutum.

17. Jus Publicum dividitur in *Commune* & *Antiquum*, de quo in Digestis, Codice & Novellis: & in *Speciale* seu *hodiernum*, quod post translationem Rom. Imperii in Germanos, à Leone III. anno 800. in personam CAROLI M. factam, consistit in modernis Romano-Germanici Imperii Constitutionibus, pro illius conservatione emanatis, & vim perpetui Juris habentibus. Tales sunt Aurea Bulla Caroli IV. de Electione Regis Romanorum, in Imperatorem promovendi. Recessus Imperii de juribus & prærogativis Imperatoris, Regis Romanorum, Vicariorum, Electorum, Principum, Civitatum Imperialium, aliorumque Statuum S. R. I. ac illorum oneribus, seu quantum à quovis juxta taxam Matriculæ pro Imperii necessitatibus contribuendum: item de pace & bello; de fœderibus & legationibus; de Circulis & Feudis Imperii, de vectigalibus & monetis. Instrumenta pacis præsertim Westphalicæ; Capitulationes Imperatoriæ; Sanctiones Pragmaticæ, seu quæ Imperator de consilio Procerum sanxit & statuit. Ordinatio Judicii Cameræ Imperialis. Constitutiones criminales, vulgò, *die Peinliche Hals-Gerichts Ordnung*, aliæque Ordinationes in Comitibus Imperii editæ, & ab omnibus Statibus, votum & sessionem

tionem habentibus, acceptatæ, de quibus Publicistæ, ut Schwederus, Vitriarius, &c.

18. Unde Jurisprudencia publica Romano-Germanica describi solet, quòd sit: Habitus practicus Leges publicas Romano-Germanicas in genere positas ad casus speciales in ea Rep. existentes applicandi, ut appareat, quid justum in iis sit, quid injustum. His prælibatis sit

LIBER primus Decretalium.

TITULUS I.

De Summa Trinitate & Fide Catholica.

1. **A** DEO supremo Legislatore, uti JUSTINIANUS Codicem, ita GREGORIUS IX. auspiciatur Jus Canonicum, quia Leges Ecclesiasticæ potissimum ex Præceptis Divinis & principiis Fidei, veluti rivuli è fontibus, eliciuntur. Itaque hoc Titulo de DEO & Fide statuuntur sequentia:

2. I. In Decretalibus *Cap. Firmiter 1.*
 „Firmiter credendum proponit Ponti-
 „fex, Unum esse DEUM & tres Personas,
 „sed unam Essentiam sive Naturam: Uni-
 „genitum DEI Filium esse incarnatum
 „pro salute humani generis, in ligno Cru-
 „cis